



1934 76/407 8  
41.

VTRVM  
HEREDE INSTITVTO  
INTRA ANNV M DELIBERANDI  
MORTVO  
SVBSTITVTVS ADMITTATVR

PRAESIDE  
CHRISTOPH. LVDOVICO CRELLIO  
I. V. D. IVR. NAT. ET GENT. ITEMQVE POET. PROF. PVBL. ORDIN.  
FACVLTATIS IVRID. ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM  
DISPV TABIT  
CHRISTIANVS FRIDER. BAVMANNVS  
SCHNEEBERGENSIS

AD D. OCTOBR. A. Q. S. P. E. C<sup>13</sup> 13 CCXXXIII

VITEMBERGAE TYPIS EICHSFELDIANIS  
MDCCLVII

HERMANN  
CHRISTOPH  
CHRISTIAN  
CHRISTOPH  
CHRISTOPH





I

DE SPES SVBSTITVTI VTRVM SIT IN ELVS BONIS

**N**atura liberaliter omnibus prospexit, ut nemini facile, quod ad bene uiuendum pertineat, deesse uideatur. Quanto rerum minus est, tanto plus suauitatis ex *SPES*, et expectatione temporis futuri, nascitur: quae, quamuis fructu praesenti careat, tamen, ipsa imagine bonorum, ad quae contendimus, animos mirifice accendit: et cum alios uel commoditatum suarum satietas, et fastidium, debilitet, uel sensus miseriae communis, cum omni felicitatis gradu coniunctae, frangat, et infirmet, *IPSA* contra studium et desiderium alit, et blandissime sustentat: effectrix, atque procuratrix, multarum, atque incredibilium omnino, uoluptatum. Enimvero, quandoquidem, quae speramus, plerumque nobis ignota sunt, certe nondum penitus percepta, animoque familiaria, sed a nobis ipso tempore se iuncta; efficitur, ut, quod *PLINIVS* (a) ait, quo quis propius accessit ad *SPEM* fruendi, hoc impatientius moram ferat, omnes utilitates animo praecipiat, incommoda, quae ab illis segregari non possunt, aut nesciat, aut non cogitet, ipsoque sensu bonorum, priusquam haec ad ipsum peruenerunt, uehementius, quam fructu illorum, cum impetrata sunt, afficiatur

A 2

Igitur

(a) Plin. VI. ep. 1

4. VTTVM HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

Igitur is non parum tribuit amico, qui cum res et bona praesentia non possit, *SPEM* tamen, non omnino uanam, quamuis longam, et remotam, praebuit, tanquam bonum uicarium, et subsidiariam iucunditatem. Illud mouit *POMPONIUM*, ut quamuis nec emptionem, nec uenditionem, sine *RE*, quae ueneat, intelligi posse docuerit, tamen, cum captus piscium, uel missilium, et quasi *ALEA*, emittur, emptionem contrahi agnoscat, etiam si nihil incidit; quia *SPEI* emptio fit, quae et ipsa mercis rationem habere uideatur, l. 8. D. *de Contrab. Empt.*

Sed, inter spes alias, nihil efficacius fuit ad Romanum ingenium, quam *SPE HEREDITATVM*, quamuis fallax, et incerta, *SUBSTITVTIONIBVS* duntaxat, et post plures heredum gradus, e longinquo, facta a defunctis, qua fidem amicitiae, et studium amoris, testantur. Enimvero Romae, exemplo Graecorum, quod ex testamento *ARISTOTELIS*, (a) filiae Nicanorum, et huic alios, substituētis, obseruatur, maxime ob legem *Papiam* (b) ne hereditates caducae essent, aut testamenta destituerentur, inualuit, ut heredes non solum *PRIMOS*, sed *SECUNDOS*, et *tercios*, et subinde *quartos*, instituerent, ad quos spes hereditatis per quosdam gradus perueniret. Certe *APPIANVS* (c) *MORIBVS* tribuit consuetudinem substituendi. ἘΔΟΣ ἦν Ῥωμαίσις, inquit, παραγράφειν τὴν κληρονομίαν ἐτέροις, εἰ μὴ κληρονομοῦνεν οἱ πρότεροι. Et *ULPIANVS* l. 2. pr. D. *de Vulg. et pupill. substit.* auctor est, *MORIBVS*, id est, prudentum interpretatione, et Iure Ciuili, introductum, ut quis liberis impuberibus, substituere posset testamento: cum nec *Lex XII. Tabularum* testatoribus resisteret

(a) Diog. Laërt. Vita Aristot. L. V. segm. 12. sp. p. 275

(b) ujd. Thom. Papillonius de Direct. Hered. substit. c. 4

(c) Appian. de Bell. Ciu. L. II. p. 132

DELIBERANDI MORTVO SVBSTIT. ADMIT. 5

resisteret, quo minus, utique uisum esset, super pecunia sua, et familia, legarent: qua facultate comprehendi etiam uidetur potestas, uulgariter substituendi

Sed SVBSTITVTIONIBVS SPES duntaxat hereditatis, apprens e longinquo, continetur, saepius delusa, et magis fortunae beneficio, quam testatoris iudicio implenda. TACITVS, (d) in SPEM SECUNDAM uocari substitutos, ait: „quandoquidem Augusti testamentum Tiberium, et Liuiam, heredes habuit: sed, in SPEM SECUNDAM nepotes, „pronepotesque, TERTIO gradu primores ciuitatis, scripserat. „ Cum, contra, qui proximi imperio destinati essent, eodem TACITO teste, SPEM PRIMAM dominandi habeant (e) et successore delecto, prae SPES aliorum, qui ad imperium adspirent, cohibeantur (f)

Itaque substitutionibus hereditatis SPES deferrebat: sed dubia plerumque, et facile euentu caritura: quandoquidem, quamdiu institutus admitti potest, docente VIPIANO, l. 69. D. *Atqu. uel Om. Hered.* substituto locus non relinquitur; qui antea succedere non potest, quam excluso herede instituto. Solam igitur SPEM hereditatis substitutio continet: quae tantopere animos hominum arexit, ut segetem et materiam litium multarum pareret, et disciplinam iuris multis dissensionibus, et magna difficultate, perturbaret. Sed infirmat SPEM substituti PAVLVS, l. 42. D. *de A. R. D.* qui, quamuis SPES, rei locum obtineat, et uendi possit, tamen SVBSTITVTIONEM, QVAE NONDVM COMPETAT, id est, cum nondum delata sit hereditas, EXTRA BONA NOSTRA esse, affirmat, adeoque substitutum, qui spem duntaxat deferendae in posterum

A 3

heredita-

(d) Tacit. Ann. I. c. 8

(e) Tac. Ann. IV. c. 7

(f) Tacit. Annal. III. c. 56

6. VTRVM. HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

hereditatis habeat, locupletiolem esse, aut aliquid omnino habere, negat, priusquam heredes primi hereditatem aut repudient, aut ADIRE, et PRO HEREDIBVS GERERE prohibeantur. Quapropter idem alio loco, l. 7. D. de Hered. uel act. uendit. ut hereditas a substituto VENDI possit, vix permittit: cum ESSE debeat hereditas, ut sit emptio: et non ALEA, sed RES ematur; quae si nulla sit, non contrahi posse emptionem, docet, sed pretium condici

At uero, nihil certius, quam esse aliquid boni, quod statim perueniat ad substitutum: Vt illud SPEI, quod substituto tribuitur, non solum IN BONIS substituti esse, sed etiam uendi posse, uideatur. Audiamus VLPIANVM l. II. D. de Hered. et act. uend. qui, hoc modo, inquit, admittitur uenditio, SI QVA SIT HEREDITAS, esto tibi empta: cum quasi SPES hereditatis, et ipsum incertum rei, ueneat, ut in retibus, et in uenatione. Cum quo etiam consentit IAVOLENVS l. 10. D. de Act. et hered. uend. qui admittit uenditionem, ut, SI QUID IVRIS ESSET uenditoris, ueneat, et ad emptorem transferatur: quamuis enim ad uenditorem hereditas non pertinuerit, nihil tamen, ait, eo nomine praestari: quia id actum esse manifestum sit, ut quemadmodum emolumentum negotiationis, ita periculum, ad emptorem pertineret. Imo uero ipse PAVLLVS l. 13. D. de Hered. et act. uend. probat hanc conuentionem: „ut „QVID QUID IVRIS haberet uenditor, emptor etiam haberet; et liberari, ait, uenditorem, quamuis hereditas ad illum nunquam perueniret. Ex quibus rebus, apparet, non omnino nullam esse spem hereditatis, quae pertinet ad substitutum: sed illam eatenus esse in bonis, quatenus et spes ipsa commoditatis futurae cum fructu aliquo uoluptatis coniuncta est: ideoque etiam uendi posse spem substituti



substituti, quatenus ille, qui uel aleam emerit, non rem omnino uanam emisse creditur. Quod uero PAVLLVS l. 42. D. de A. R. D. substitutionem EXTRA BONA esse affirmabat, eo pertinet, ut substitutio BONVM PRAESENS, quod pleno iure possideatur, et quod spei l. 8. D. de Contrab. Empt. opponitur, dici nequeat: cum is demum, docente MODESTINO l. 52. D. de A. R. D. rem in bonis habere intelligatur, qui possidens exceptionem, aut omit- tens, ad recuperandam eam, actionem habet: cum, con- tra, propter incertitudinem casuum humanorum, illa, quae nondum penitus acquisita sint, non omnino NOSTRA uideantur. Illud expeditum est, substitutum, nisi ipse uiuus adierit, ad heredem non transferre substitutionem: l. 81. De de A. uel omit. Hered. et nihil iuris emptorem retinere, si non ipse substitutus hereditatem, sibi delatam per gradus, adquisiuerit aditione

II

QVOVSQVE DVRET SPES SVBSTITVTI

Igitur SPEI duntaxat uoluptate substitutus utitur, donec ipsi hereditas, remoto instituto, deferatur. Imo uero etiam interdum SVPERSTITE, et VOLENTE instituto, heres uidetur, et primo hereditatem subripit, si NULLA sit primi gradus institutio, sique testamentum, quoad illum gradum, iufirmetur. PAVLLVS enim l. 43. §. 2. de Vulg. et Pupill. substit. in testamento, quo quis uxorem here- dem instituerat, filiis, quos in potestate habebat, substi- tutis, eum gradum, quo liberi praeteriti sint, nullius momenti esse, ait; sed, quia filii tamen substituti sint, illos ex testamento heredes extitisse, cum non totum te- stamentum liberi, sed illum duntaxat gradum, qui ab initio

8 VTRVM HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

initio non ualuerit, infirmant. Igitur liberi substituti, etiam uolente instituto, admittentur

Ceterum, si adire uoluerit institutus, plerumque expirat uulgaris substitutio. Enimvero, si HERMOGENIANVM audiamus, l. 12. D. *Condit. Instit.* in uoluntaria heredis persona, res fere in heredis arbitrio posita, et illa uerba: PRIMVS, si VOLET, heres esto, superuacua uidentur; cum, etiamsi non sint addita, inuitus heres non efficiatur. Itaque VOLENS heres primus excludet substituti SPEM SECUNDAM: sed, nec uoluntate tamen sola, hereditatem primus adquiret, nisi EFFICACITER uoluerit, et conuenienter negotio, indicioque luculento acciperit hereditatem: gerendo pro herede, aut hereditatem adeundo. Neque enim sufficit, si paruereit conditioni, sub qua institutus est, nisi animo, GERENDI PRO HEREDE, impleuerit iudicium supremum testatoris. ANTISTIVS LABEO certe, teste IAUOLENO, l. 62. D. *de A. u. O. hered.* heredem primum, sub conditione, SI IVRABIT, institutum, quamuis iurauerit, non statim heredem futurum, ait, antequam pro herede aliquid gesserit: quia iurando uoluntatem magis suam declarasse uideatur: quamuis PROCVLVS et IAUOLENVS institutum, si, ut heres, iurauerit, admittant

Ergo expeditum est, aditione instituti inprimis, aut pro herede gestione, non nuda uoluntate, excludi substitutum: Certe, non, nisi excluso instituto, hereditatem substitutis omnimodo deferri, l. 69. D. *de A. u. O. Hered.* Sed uideamus, an non interdum locus substituto detur, quamuis institutus adierit, si appareat, illum non recte, neque ex uoluntate testatoris, aduisse. Ita VLPIANO l. 6. pr. D. *de Hered. Inst.* atque PAVLLO l. 72. D. *de A. u. O. her.*  
uisum

41.

DELIBERANDI MORTVO SVBSTIT. ADMIT. 9

uifum est, qui, si conditione institutionis *DIES* adiectus sit, intra quem adeat hereditatem, uel Capitolium adscendat, isque non paruerit conditioni, substitutum continuo admittit. Igitur tunc demum, si *heres PRIMVS* uoluerit, et *TEMPESTIVE*, atque et iussu testatoris, uoluerit, extenuatur atque euanescit spes heredis substituti. Interdum tamen, etiam si *PRIMVS* efficaciter adierit hereditatem, spes substituti sustinetur. Neque enim dubito, si minor uiginti quinque annis hereditatem damnosam adierit, et in integrum restituatur, admitti substitutum. *GAIVS* enim l. 57. D. de A. u. Omitt. her. auctor est, minores, si temere damnosam hereditatem appetierint, ex generali Praetoris Edicto de minoribus uiginti quinque annis, in integrum restituendos. Sed restitutio, praecipiente *PAVLLO*, l. 24. §. 4. D. de Min. ita facienda est, ut unusquisque *INTEGRVM IVS SVVM* recipiat, quasi infectum fieret, quod temere a minore factum esse intelligeretur. Quam Praetoris aequitatem commendat vox naturae, quae non patitur, temeritate adolescentuli, a qua resipiscat, ius suum cuiquam interuerti: commendat etiam ultimarum uoluntatum fauor, quibus obtemperandum est, si uel subtili iure infirmentur. Enimuero nihil magis iudicio testatoris conuenit, quam deferri hereditatem substituto, quae ad heredem primum non perueniat, aut non profit heredi instituto; cum contra, si, post restitutionem primi, excludatur etiam secundus, destituatur testamentum: quod ne accidat, inuectae sunt, moribus, heredum substitutiones

Subit mirari, quid in mentem uenerit Hubero, (a)  
qui cum *STRVVIO*, de illo argumento, litem serio exercet

(a) Huberus ad Digest. XXVIII. 6. p. 286. 699

IO VTRVM HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

cet. Quod enim DIOCLETIANVS ET MAXIM. l. 5. C. de Impub. et al. subst. „post aditam hereditatem directas substitutiones, non impuberibus filiis factas, exspirare, aiunt, de aditione efficaci accipiendum est, quae non postea irrita, et infecta esse iudicatur: quum hereditas, quae temere adita fuit a minore, fingatur, omnino non adita fuisse. Neque PAPINIANVS nos perturbat, qui l. 2. D. de success. Edict. ne cognatum quidem inferioris gradus, ad possessionem bonorum admittit, quam prior cognatus acceperat, quamuis prior, ob auxilium aetatis, deinde abstineat hereditate. Enimvero recte obseruat THOMAS PAPIILLONIVS (a) illud ius singulare, in fauorem fisci introductum, non latius, neque ultra cognatos, bonorum possessionem ex testamento petentes, ad substitutos testamento producendum. Diserte enim SCAEVOLA l. 44. D. de Re iudic. docet, bona defuncti, postquam tutores pupillum, qui illis auctoribus antea pro herede gesserat, abstinerunt bonis paternis, AD SVSTITVTVM peruenisse: ut dubitari non possit, etiam POST RESTITVTIOHEM primi, secundo dari facultatem, ad ius heredis adspirandi. Quae ex l. 7. §. 10. D. de Min. obiciuntur, subtiliter ANTONIVS FABER (b) PAPIILLONIVS, loco supra excitato, diluerunt

Macer tamen l. 61. de A. u. O. hered. et DIVVS SEVERVS fortius resistunt, qui ne coheredem quidem, cum minor annis, qui heres ex parte extitit, in integrum restitutus est, cogendum censuerunt, ut eius partis onus suscipiat, sed creditoribus bonorum possessionem dandam esse, iudicarunt. Sed huic respondeas, nemini quidem

(a) Papillonius c. 9. de direct. Hered. subst. p. 715. in Thef. Ottonis T. IV

(b) Ant. Fab. L. III. Coniectur. c. 4

dem inuito, per restitutionem minoris, incommodum afferri posse, quod iuris necessitas ipsi non antea imponat: sed neque per aditionem temerariam, quae per restitutionem infirmatur, cuiquam ius suum extorqueri; quod cuique integrum manere, etiam post restitutionem, PAVLVS l. 24. §. 4. D. de Min. praecepit

Itaque non admittetur substitutus, postquam primus adit hereditatem, nisi hic in integrum restituatur; sed expectandum est tempus, quo prior uel nolit, uel non possit, acquirere hereditatem. Docet enim VLPIANVS l. 3. et l. 69. D. de A. u. O. hered. quamcūq; prior heres institutus hereditatem adire possit, substituto hereditatem non deferri; Illa enim demum hereditas, teste TERENCE CLEMENTE l. 151. D. de V. S. delata uidetur, quam quis consequi possit adeundo: quod substituto, nisi excluso instituto, non licere, supra fuit comprobatum

Sed quamuis SPE exigua atque extrema pendeat ius substituti, non tamen spem hereditatis abiiciet, donec certo constet, heredes primos hereditatem adisse; aut si spem antea dimiserit, illa, quodocunque uisum est, redintegrabitur, donec hereditas peruenerit ad institutum. Negat enim VLPIANVS, l. 13. §. 2. D. de A. u. O. hered. repudiationem aliquid ualere, si substitutus ANTEA REPUDIET, quam heres institutus decernat de hereditate. Quod et PAVLLO l. 18. D. eod. placuit, cui is demum repudiare posse uisus est, qui possit acquirere hereditatem

Ex quibus rebus intelligitur, pendere spem hereditatis, neque omnino accidisse, donec expeditum sit, primos adquisiuisse ius heredum, adeundo. Aliquando tamen eneniet, ut, quamuis primus NON ADIERIT, secundus excludatur. Fac enim, primum in patris potestate fuisse constitutum, et patrem adisse, filio inuito, et repudiante.

## 12 VTRVM HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

pudante. Excludetur tamen substitutus, cum filio familias delata hereditas, parenti eius etiam quodammodo delata uideatur. Ita enim IVSTINIANVS l. ult. pr. C. de Bon. quae lib. rem definiuit: quidquid Thomastus (a) et Wissenbachius (b) legi manifestae obloquantur: cum pater, filio etiam inuito, adicione, aut pro herede gestione, quodammodo acquirat delatam filio hereditatem. Certe, etiamsi non adierit hereditatem institutus, tamen, si substitutus etiam decesserit; MARCIANVS l. 9. D. de suis et legit. her. docet, substitutionem ad heredes substituti non transferri, sed exspirare morte substituti: quod et EMVNDVS MERILLVS (c) in Libro de Iure accrescendi obseruauit, et supra a nobis fuit indicatum. De quo uidebatur Lector admonendus, ut deinceps de ipso argumento, quod tractamus, facilius constituatur

### III

#### QUANDO VELLE DESINAT HERES INSTITVTVS

Igitur, quamdiu spiritum hunc ducet substitutus, alet spem hereditatis deferendae; quae tandem implebitur, cum constabit, heredem primum NON VOLVISSE acquirere hereditatem, adeundo. Hic enim, si ipse non uoluerit adire, exceptis liberorum personis, hereditatem non aditam, auctore IVSTINIANO l. un. §. 5. et 13. D. de Caduc. rollend. ad heredes non transmittit; sed locum facit substituto. Quapropter VLPPIANVS, l. 69. D. de A. uel O. hered. non longius arcet substitutum, quam, donec constet, institutum non admitti; et huic, nisi adeat, aut pro herede gerat, eiusque heredibus, ait, denegandas actiones.

(a) Thomast. sch. ad Hub. Pand. L. 28. 6. §. 2. p. 289

(b) Wissenb. P. I. Pandect. disp. 56. th. 17

(c) Emund. Merillus de iure accrescendi c. 4. apud Ottonem T. IV. p. 1759

actiones. Sed quousque heredem secundum expectare iubebimus, ut intelligatur, heredem primum NON VOLV-  
ISSE ad hereditatem peruenire? PAVLLVS quidem he-  
redem primum, cui, testamento, TEMPVS, intra quod  
adeat hereditatem, hac lege, PRAESTITVTVM fit, ut si  
intra illud non adierit, ipsi alius SVBSTITVTVR, putat,  
NON VOLVISSE acquirere hereditatem, si, intra dies defi-  
nitos, nec adierit, nec pro herede gesserit, qui fuit insti-  
tutus, l. 72. D. de A. u. O. hered. Igitur secundus ad-  
mittetur, si primus conditioni temporis, ipsi adiectae,  
non parebit. Sed faciamus, primum intra illud tempus  
decessisse, quo debebat decernere de hereditate, et con-  
ditionem adimplere. PAVLLVS, ait, d. l. 72. neminem  
omnino dubitare, quin substitutus non soleat ultimum  
aditionis diem expectare. Itaque apparet, non uideri VOL-  
VISSE hereditatem acquirere, qui decesserit intra tem-  
pus aditioni destinatum. DIOCLETIANVS et MAXIM.  
l. 7. C. de Iure Delib. longius procedunt, et illum etiam  
NON VOLVISSE heredem fieri, iudicant, qui ne qui-  
dem cognouit, sibi hereditatis aliquid relictum, sed, an-  
tequam pro herede gereret, aut bonorum possessionem  
admitteret, decessit; aiunt enim, illum defuncti successi-  
onem ad heredes suos transmittere non potuisse. Quod  
et PAPIANVS, l. 86. D. de A. uel O. Hered. approbavit,  
qui illorum duntaxat heredes, qui rei publicae causa  
absentes fuerant, et antea uita decesserant, quam here-  
des se institutos cognoscerent, humanitatis causa, cen-  
suit ex persona defuncti in integrum restituendos. Ausim  
affirmare, illud etiam heredibus militum esse tribuendum,  
ut restituantur, si miles, iuris ignorantia deceptus, pri-  
usquam adiret, decesserit intra tempus definitum. PAVLLVS  
enim l. 9. D. de Iuris et facti ignor. etiam, quod ad ad-  
ditionem

14 VTRVM HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

tionem hereditatis attinet, militi ius ignorare, ex constitutionibus principalibus, permittit: ut dubitari non possit, heredes eius, ex persona militis, restituendos

Sed haec iure singulari, fauore laudabilis absentiae, itemque militiae, obtinuerunt. Ceterum, qui priusquam adiit, intra tempus definitum testamento, uita decessit, uidetur NON VOLVISSE heredis iura impetrare. Possent discedere ab hoc argumento, satis expedito, nisi VLPIANVS turbas daret, qui negat, illum NOLLE adire hereditatem, qui NON POTVIT adire. l. 4. de A. H. Videtur enim, qui antea decessit, non potuisse adire, intra tempus definitum, ideoque nec omnino noluisse. Magis etiam rem impedit PAPINIANVS, qui l. 101. pr. D. de Condit. et demonstr. ait, NON NOLVISSE nubere, quae, priusquam uiri potens fieret, morte conditionem nuptiarum anteuertit. Ideoque excludit legatarium secundum, qui in hunc casum substitutus est, si nubere puella noluisse. Praeterea idem, quem antea adduxi, VLPIANVS alio loco, uehementius resistit, qui seruum uicarium, si ab alio fugitiuo inuitus abductus, occasionem redeundi non accipit, non putat, reuerti NOLVISSE; sed tunc demum, non POTVIT reuerti. l. 17. §. 7. D. de Aed. Edif. Certe SENECA (a) illum omnino VELLE, in cuius naturam non cadit, NOLLE, dubitandum non putauit. Ex quibus uidetur colligendum, PRIMVM hereditatem non repudiasse, qui, praeventus morte, non significauit, se accipere hereditatem, adeoque substituto locum tunc non fieri, sed, ad HEREDES PRIMI, successione commoda transferri. Verum, ab his quidem non adducor, ut eum, qui, antequam adiret, intra tempus praescriptum, decesserit, existimem hereditatem

(a) Senec. L. VI. de Benef. c. 21. f



DELIBERANDI MORTVO SVBSTIT. ADMIT. IS

tatem transmisisse. Enimvero largimur, NON omnino  
NOLVISSE, qui non potuit adire, neque puellam, quae  
nubendi conditionem non accepit, nec tempus nuptia-  
rum attingit, poenae locum fecisse, quae in illum casum  
constituta erat, si nubere puella nolisset: Faciamus etiam,  
seruum uicarium non indignum uenia uideri, qui non  
occasionem reuertendi nactus est: adeoque illum non re-  
cte accusari, quod NOLVERIT reuerti. Vltro concedi-  
mus, uictas manus damus, profitemur: NON NOLUIT  
adire, qui decessit intra tempora aditionis. Verum, ut  
hereditas transmitti possit, non sufficit, NON NOLVISSE  
heredem primum acquirere hereditatem, sed, ut etiam  
VOLVERIT, utque tempestiue VOLVERIT, desideratur,  
utque luculento indicio prodiderit decretum suae uolun-  
tatis. Quod LABEO et PROCVLVS et IAVOLENVS l. 62.  
D. de A. uel Omitt. Hered. comprobarunt. Certe POM-  
PONIUS l. 4. D. Locati, facile agnoscit, quod VELLE DE-  
SINAT, qui e uita emigravit: tantum abest, ut credamus,  
VELLE illum INCIPERE, dum moritur, qui antea diffi-  
mulauit uoluntatem. Neque quenquam facile, quod SE-  
NECA, loco supra indicato, philosophatus est, pertur-  
bet. De SAPIENTE VIVO disputauit, qui, quod melius  
sit natura, NOLLE penitus non possit: Adeo, cum alte-  
rutrum eligere debeat, ac possit eligere, NOLLE autem  
meliora, in ipsum penitus non cadat, VELLE cum melio-  
ra, iudicauit. Aliter de illis sentiendum, qui nec DE-  
BENT eligere, nec POSSUNT, postquam uita decesse-  
runt. Hos enim VELLE acquirere hereditatem, quam-  
uis nec NOLLE in illos cadat, nemo dixerit, cum neu-  
trum ad illos pertinere uideatur

NATVRALIS RATIO HEREDIBVS INSTITVTI  
PRAEFERT SVSTITVTOS

**N**on uidebitur ab instituto alienum, si comprobaue-  
rim, testatorem, cum de eius uoluntate quaeritur,  
potius substituto, quam instituti heredibus, prospectum  
uoluisse. Hoc intelligetur, si memoria repetas, quo  
animo testatores, quo consilio, coeperint SVSTITVTRE  
heredi instituto. Et nemo quidem negat, illud inpri-  
mis agi substitutionibus, ut ne ad SVCCESORES AB  
INTESTATO perueniat hereditas defuncti: aut ne ca-  
duca sit, ob legem PAPIAM, aut ne bona a creditoribus  
nomine defuncti distrahantur; sed ut personas, quas di-  
lexit, in quibus spem, et fiduciam collocauit, blande af-  
ficiat testator, et memoriam sui, beneficio hereditatis,  
etiam in posterum confirmet. Videberis uictoriam he-  
redibus impetrauisse, cum, si ad HEREDIS PRIMI  
successores, spes hereditatis, et facultas adeundi, defera-  
tur, eadem omnia obtineri possint, quae testator uoluit,  
ut neque heredes eius ab intestato bona possideant, nec cre-  
ditores, nec fiscus, facile inuolare possint in messem  
alienam, ad quos arcendos diximus inuentas substituti-  
ones. Verum enim uero, non illud quaeritur, quomo-  
do excludi POSSINT successores legitimi, et fiscus, at-  
que creditores; sed quomodo testator illos VOLVERIT  
excludi. Illud igitur ex AMORE colligendum est, quo  
duce testator constituit quosdam gradus, et ordines, he-  
redum

Nihil expeditius, quam testatori suos potius AMI-  
COS, quos iudicio elegit, quibus familiariter usus est,  
quos instituit, quos substituit, quos suos esse uoluit,  
com-

commendatos fuisse, quam HEREDES AMICORVM, quos fors nascendi obtulit, quos testator plerumque oculis non uidit, qui de illo nunquam meriti sunt, quos nulla officia, nulla necessitudo, nihil, quod animos hominum obstringit, et conglutinat, nulla uincula amicitiae humanae, cum testatore coniunxerunt

ISOCRATES (a) quidem, ut patrimonii, ita amicorum, hereditatem uoluit ad liberos amicorum, et heredes, quodammodo transmitti. Verum, iam non, quid pulchrum, quid praeclarum sit, disputatur, sed facti quaestio est, et quid VOLVERIT testator. Verum, quis non uidet, quantum repugnet uoluntati testatoris, si hereditas ad heredes primi heredis, non adeuntis, perueniat. Cui non ante oculos uersatur TIBERIVS, qui matre mortua, omnes familiaritates pristinas, intra breue tempus, afflixit, et deseruit amicitias paternas, et maternas. (b) Quis nescit, quantum saepe degenerent, et deficiant, a maioribus heredes? quam facile, si heredibus heredum bona nostra relinquerentur, illa ad indignos peruentura essent, ad stipites, ad truncos, ad molestissima onera terrarum. Quis ignorat, quod facilius INIMICITIAE paternae, quam familiaritates, et AMORES, ad heredes transferantur. (c) Quis igitur credat, testatorem incertos heredes PRIMI heredis, AMICO SVBSTITVTO, cuius fides ipsi approbata fuit, praetulisse. Heredes a sanis testatoribus, amore, et iudicio, plerumque deliguntur. Sed magis probabile est ad fidem, testatorem, heredes primi et secundi gradus, quos cognouit, atque nominauit, amore, et iudicio suo, probauisse, quem

C  
heredis

(a) Isoc. ad Demon. c. 1  
(b) Sueton. in Vita Tiberii. c. 51.  
(c) Val. Max. V. 4. 14

18 VTRVM HEREDE INSTIT. INTRA TEMPVS

heredis primi incertos, et saepe degeneres, heredes. Certe testator, qui heredes heredis primi impensius dilexisset, quam heredem substitutum, potius heredi primo suos heredes substitutos daturus fuisset primo loco, quam ipsum substitutum, quem maluerit cedere heredibus heredis. Illud enim familiare fuisse testatoribus, ut, si liberos heredis primi praeserrent substituto, liberorum heredis mentionem iniicerent in ipsa institutione, ex responso SCAEVOLAE l. 85. D. de Hered. Inst. intelligitur. Aut, si heredibus primi heredis potius, quam substituto, uoluisset prospicere testator, nonne fuisset commodius, heredem primum, in casum, si sine liberis decederet, fideicommissio onerare, ut hereditas potius ad heredes heredis, quam substitutum perueniat, et tunc demum, si primus heres sine liberis moreretur, substituto hereditas restituatur. Enim uero testator, qui liberos heredis primi maiori quam substitutum amore complecteretur, inepte illos in substitutione praeteriret, et solius substituti mentionem faceret; qui, herede primo ante testatorem mortuo, sine dubio excluderet heredis primi successores, quos tamen testator, si opinionem uulgarem sequimur, praetulisset substituto. Ex quibus rebus apparet, testatorem, qui primo heredi, in casum, si ipse heres non fuerit, non suos heredes, sed alium, substituit, omnino maluisse, ut hereditas, si primus non adiret, ad substitutum potius, quam ad heredes heredis primi, perueniret.

V

AN IVS DELIBERANDI AD HEREDES PRIMI  
HEREDIS TRANSMITTATUR

Igitur illud caret dubitatione, mortuo herede primo intra illud tempus, intra quod testator ipsum de hereditate

tate decernere iubebat, non HEREDES PRIMI, sed sub-  
STITVTVM admitti ad hereditatem. Nunc uideamus,  
ad quem spectet hereditas, si non a TESTATORE spa-  
tium deliberandi, intra quod heres primus adeat heredita-  
tem, constitutum, sed, si primus intra TEMPVS a PRAE-  
TORE, uel LEGE, DEFINITVM decefferit, priusquam  
adiret hereditatem. Enimuero, si nemo inflet, et urge-  
at, per triginta annos, quibus petitioni hereditatis praec-  
scribitur, permiffum est deliberare. Sed, si heres pri-  
mus necat moras, et, per tempus longius, incertum re-  
linquat fubstitutum, VLPIANVS l. 69. D. de A. uel. Om.  
*Hered.* ait, neceffarium remedium Praetoris, ut et primo  
heredi, et dein fecundo, postquam primi tempus praeter-  
iit, ipsique hereditas delata est, et subinde etiam tertio  
heredi, TEMPVS praefituar, intra quod quisque delibe-  
ret, quid fibi expedire uideatur: quo elapfo, illis, nisi  
aut adierint, aut pro herede gesserint, ab ipfo denegan-  
tur actiones. Solebat itaque Praetor, teste POMONIO,  
l. 23. §. 1. D. de *Hered. Inst.* tempus praefinire, intra quod  
adeatur hereditas, ne res in infinitum protrahatur: quod  
fpatium plerumque femel, nonnunquam uero faepius  
conftituebatur, fi Praetori, fecuto aequitatem, fua ducer-  
etur, tempus, quod primum praefituerat, non fufficiffe.  
Fac igitur, decedere heredem primum, dum DELIBERET  
de hereditate intra tempus praefinitum. Certe PAVLLVS  
l. 72. D. de A. uel. Om. *Hered.* generatim praecipit: „fi  
prior decefferit, neminem dubitare, quin fubstitutus  
„DIEM VLTIMVM aditionis non teneatur exfpectare. Sed  
nemo ignorat, tempus aditionis, effe tempus, a testatore  
aut praetore, aut, lege definitum. Itaque exclusis here-  
dibus heredis primi, defertur fucceffio heredi fubstituto,

C 2  
illique

illique praefinitur tempus, intra quod et ipse decernant de hereditate

Quo iuris ciuilibus praeepto nihil esse aequius, supra est a nobis disputatum. Neque enim uidetur interesse, utrum spatium a testatore, an a lege, et Praetore, heredibus praefiniatur. Res non indigeret disputatione, nisi illa non nihil Constitutionibus Principum mutata uideretur. IVSTINIANVS enim l. 19. C. de *Iure deliber.* illum duntaxat, qui intra ANNI SPATIVM, postquam cognouit, hereditatem sibi delatam esse, nec adierit, nec pro herede gesserit, non patitur transmittere ad heredes ius deliberandi: contra, illorum, qui durante ANNI tempore mortui sunt, heredibus RELIQUVM TEMPVS, pro adeunda hereditate, relinquit, quo finito, ad hereditatem nondum aditam, non pateat regressus. Ex quo loco uideatur colligendum, heredes substitutos, si primus INTRA ANNUM DELIBERATIONIS decesserit, non admitti ad successionem; sed illis, donec heredes heredis primi annum lege definitum impleuerint, expectandum: hos uero, si intra hoc tempus nec adierint, nec pro herede gesserint, locum facturos substitutis: sin uero hereditas eis non damnosa uideatur, ab ipsis adquiri posse hereditatem adeundo, et substituti spem decipi, et interuerti. Sed, quamuis res impedita uideatur, tamen magis est, quod credam, NON TRIBVI HEREDIBVS PRIMI IUS DELIBERANDI, quo possit excludi substitutus. Nimirum IUS DELIBERANDI quidem ad heredis heredes etiam transmittitur, uti heredes, docente POMPONIO l. 36. D. de *A. uel. Om. Hered.* succedunt in omnia iura, et nomina defuncti. Sed, quis credat, iura etiam illa, quae personam non egrediuntur, et, persona extincta, continuo extenuantur,  
et

DELIBERANDI MORTVO SVBSTIT. ADMIT. 21

et exspirant, transmitti in heredes. Enimuero, dato substituto, manifesta est uoluntas testatoris, quod, nisi heres primus ipse adquisiuerit hereditatem, non heredes heredis primi, quos non substituit, sed substitutus debeat admitti ad hereditatem: cum probabile sit, testatorem, si heredes heredis substituto praetulisset, illos potius, quam hunc, heredi primo daturum fuisse substitutos. Itaque cum de uoluntate testatoris hoc casu dubitari nequeat, quod substitutus heredibus heredis primi praefatur, adeoque hoc ius heredis primi, quod hereditatem ad eundo acquirere possit, hoc casu, personam eius non egrediat, nemo dixerit, IUSTINIANVM uoluisse, ut uoluntas testatoris eludatur. Id egit IUSTINIANVS, ut caueret, ne destituerentur testamenta, et caducae essent morientium hereditates: quod ex tota lege unica C. de caduc. toll. intelligitur. Hoc ut efficiat, non uoluit hereditatem, si heres intra annum deliberandi moriatur, interuerti, sed etiam heredibus illius spatium dari, quo deliberarent. At uero dato substituto, non est, quod facile timeat, ne testamenta destituerentur, aut caducae fierent hereditates. Igitur cessabit illa deliberatio heredum, sine legis hic cessante; cum appareat, non ipsi testatorem, sed, si primus decesserit, substituto prospexisse. Praeterea lege generali, quae in heredes transmittit ius deliberandi, credi non potest, derogatum esse legi speciali 72. D. de A. uel. Om. Hered. quae personale ait esse ius heredis primi, dato substituto: ideoque, si heres prior, antequam adiret, decesserit, intra tempus praefinitum, ad successiorem uocat substitutum, et non uult dubitari, quin substitutus non teneatur expectare diem ultimum aditionis. Itaque nouae Constitutioni

Imperatoris, quā legibus anterioribus speciatim non detraxit, in illis tantum speciebus locus relinquetur, de quibus non antea lege speciali cautum fuit: id est, tunc, cum heredi non datus testamento substitutus ius deliberandi transmittetur ad heredes. Quod tanto facilius fidem inueniet, si cogitabis, quod HVBERVVS (a) obseruauit, spatium deliberandi successisse in locum ueteris illius CRETIONIS, cuius tempus testatores sub poena exheredationis praeferebant. Sed, si heres primus non CREVERIT, nec pro herede gesserit, testatur VLPIANVS tit. 22. §. ult. *Fragm.* itemque PAVLLVS l. 72. D. *de A. uel Om. hered.* admitti substitutum. Illud non inuenio mutatum a Iustiniāno

## VI

## ODIOSVM EST IVS DELIBERANDI

Imo uero odiosum est Iustiniāno ius deliberandi, et, si illud uel subtili iure pertineret ad heredis primi successores, tamen stricte interpretandum esset, eique derogandum, in tam luculenta uoluntate testatoris. Ait enim Imperator, l. 22. §. 13. C. *de Iure delib.* Inuecto iure inuentarii, SUPERVACVVM uideri IVS DELIBERANDI, et DEBERE ei DEROGARI: cumque sine damno, et adiri possit hereditas, et ab illa etiam discendi, locum deliberationi non relinquit: sed, si quis hoc ius impetrare studeat, illum VANA FORMIDINE moueri, aut callida machinatione usum censerī, ideoque illi

(a) Hub. ad Inst. L. 11. tit. 19. §. 4. p. 240



DELIBERANDI MORTVO SVSTIT. ADMIT. 23

illi a iudicibus nouem duntaxat menses, ab imperatore, annum, indulgeri: Rem fere indignam et suspectam esse, si quis desideret spatium deliberandi. In tanto huius iuris odio, quis credat, acquissimum Legislatorem permittere, ut, eius obtentu, uoluntates testatorum, et leges sapientissimae maiorum, quae substitutum heredibus heredis primi, qui non adierat, praeferrere uoluerunt, eludantur. Sibi imputet, qui usus iure odioso, et superuacuo, atque suspecto, extorsit suis heredibus spem hereditatis, quam potuisset commodius, priusquam moreretur, adquirere aditione, et ad suos propagare

Cetera, quae solent obicij, illis argumentis, quae adhuc adducta sunt, facilius expedientur



NOBI.

NOBILISSIMO  
B A V M A N N O  
S V O  
P R A E S E S

**P**Rodi in publicum, OPTIME BAVMANNE, et elegantissimis animi Tui dotibus utere: nihil inuidiam morare. Prava ingenia semper rectoribus obtrectant. Nulla uox inuidiae, quod SENECA ait, turpior, et ineptior est, illa, qua omnes, qui dant operam, ut bene mereantur, temere accusat: CAPTARE ILLOS AVRAM POPVLAREM. Hanc uirtute dilue, et uince. Illa iustissima est, et dulcissima omnium, uindicta. TE quidem nauatae adhuc operae non poenitebit. Quanto quisque melior, tanto facilius illi TE probabis. Vale. Dab. Kal.

Octob. Anno, quam salus parta est,  
clo lo cc XXXIIII




Wittenberg, Diss., 1734

ULB Halle

005 847 494

3





Inches  
Centimetres

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

1934 76/307 8

VTRVM  
INSTITVTO  
VM DELIBERANDI  
ORTVO  
VS ADMITTATVR

RAESIDE  
LVDVICO CRELLIO  
ITEMQVE POET. PROF. PVBL. ORDIN  
TIS IVRID. ASSESSORE

DITORIO ICTORVM  
SPVTABIT  
FRIDER. BAVMANNVS  
NEEBERGENSIS

R. A. Q. S. P. E. C. I. S. I. O. C. C. X. X. X. I. I. I. I.

E TYPIS EICHSFELDIANIS  
MDCCLVII

